

git pictorem? Quis vēstibus, nāvibus, domibūs inspectis non cogitat textorem, cāmentarium? Item dum aliquis a-
dit urbem, cujus benè constituta sit Respubl. ornataque pul-
chris legibus, quid aliud credat quàm bonos ei Magistratus
præesse? Sic qui venit in hanc veram Megalopolin, mun-
dum videlicet, videns terræ mundana & campestria plena
stirpibus & animalibus, omnibus perennibus & torrenti-
bus, pabulis & maritimis subvectionibus, tum aëris tem-
periem & mutationes vicesque annuas temporum, ad hæc
solem lunamque noctis atque diei principes, cæteraque si-
dera vel fixa vel erratica, totiusque choreas & ambages:
nonne verisimilem atque adeò necessariam cogitationem de
horum Patre, conditore atque rectore concipiet? Nullum
enim artificiosum opus sponte provenit. Mundus autem
artè summâ factus est, dubiò procul à conditore optimò ac
perfectissimò. Ita jam esse DEUM percipimus.

§. 5. Verùm enim verò, ut hoc ita fit, ut omnis crea-
tura, quamcunq; etiam aspiciamus, fulguret notitiam DEI &
ex Creaturis Creator agnoscat; reperiuntur tamen hodie
proh dolor! nonnulli, quibus ratio in transversum rapta
& facultas aliud ab aliò discernendi, aliudque ex aliò colli-
gendi in abusum traducta, qui profitentur non esse DEUM
& huic argumento dato reclamare non erubescunt dicentes:
*Etiamsi omnia Entia dependentia dependerent ab aliquâ primâ
causâ, exinde tamen non sequi Eam causam esse DEUM, qui
sit unus, æternus, infinitus, incorporeus, sed individuum ali-
quod vagum ac incertum, quod possit esse Natura. At verò non
est, ut propterea abnegemus DEI existentiam; etenim per
Naturam aut intelligunt Naturam Naturantem, aut Naturam
Naturatam. Si Naturam naturantem, tunc ultrò cum i-
p̄s consentimus, quippe cum Natura naturans sit illud i-
p̄sum Ens, à quò omnia dependent, ipsum verò à nullò aliò
sit,*